THESES
HISTORICO-POLEMICAE
IN CELEBERRIMAM CLERI GALLICANI
DE ECCLESIASTICA POTESTATE
DECLARATIONEM

Habitam A. D. XIV. Kal. April. An. Sal. CIↃ.IↃ. C. LXXXII.

QUAS

Celebratis de more Anniversariis Inferiis

PIIS MANIBUS

THEOLOGORUM FLORENTINAE UNIVERSITATIS

Sub Decanatu Excellentissimi Patris Magistri

JOSEPHI MARIAE BROCCHII

SEMINARII FLORENTINI MODERATORIS

Publicae Oppugnationi proponit

DOCTOR PETRUS FRANCISCUS FOGGINIUS

AUSPICE

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino

D. JOSEPHO MARIA MARTELLIO

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

Summi Pontificis Solio Assistente, Sacri Romani Imperii Principe, Pontificio & Caesareo Florentinae Universitatis Praeside.

FLORENTIAE. MDCCXXXVIII.

Per Franciscum Moücke Archiepiscopalem Typographum.
Superiorum facultate.

Disputabuntur publicè in AEDIBUS SEMINARII FLORENTINI Menſe Junio die 26. hora 14.

Propugnatore

Petro Franciſco Fogginio

Oppugnatoribus juxta Ordinem Collegii.

Excellentiſs. P. M. Jo. Baptiſta Minghetti Cler. Flor.
Excellentiſs. P. M. Jo. Franciſco Zelli Cler. Flor.
Excellentiſs. P. M. Juliano M. Saller Ord. Servor.
Excellentiſs. P. M. Maximiliano Freſcel Ord. Valliſum.

Inde vero fit omnibus congrediendi copia.

THESES

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑΙ

I. QUAM Clerus Gallicanus A. D. XIV. Kal. April. An. Sal. MDCLXXXII. de Poteſtate Eccleſiaſtica declarationem edidit, Romano Epiſcopatui ita favere, ut ejus amplitudini maxime inſerviat, & majeſtati falſo jactat Meldenſis Epiſcopus Jacobus Benignus Boſſuetius (1), ſi quidem ipſe eam ſcripſit Gallicanae Declarationis Defenſionem, quae Luxemburgi prodiit anno MDCCXXX. (2)

II. Illuſtriſſimum Georgium Strigonenſem Archiepiſcopum, & Hungariæ Primatem, nationali coacta Synodo, eam interdixiſſe, & prohibuiſſe laude dignum cenſemus; quod vero illud quoque pronun-

(1) In defenſione Declarationis Cleri Gallicani, non ſemel, & praecipue in Corollario tom. 2. pag. 393.

(2) Certant Eruditi an vere Meldenſis Epiſcopus auctor fuerit laudati operis: non erat hic locus hanc diſcutiendi litem, & ideo nihil certi ſtatuere viſum eſt ſatius: eo magis quod apud ſapientes homines opus quodcumque *re commendatur, non auctoris nomine*.

ciaverit, propositiones exhibere *Christianis auribus absurdas, ac plane detestabiles, & a Satanæ ministris disseminatas blanda pietatis specie, ut schismaticum virus instillent* (1); haud æquum credimus, quod Galli succenseant: eo enim jure has tulit censuras, quo ipsi tot alia Cl. Theologorum placita censuris afficere non erubuerunt.

III. Cleri Gallicani auctoritatem suspicimus, & amplitudinem, sanctissimosque viros æque ac doctissimos ostentare posse, illi ex animo gratulamur; putamus tamen nullam præ ceteris Christiani Orbis Cleris sibi assumere in rebus, quæ ad fidem spectant, dijudicandis auctoritatem; spiritu enim illius moveri cupimus, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (2)

IV. Quis autem eat inficias, præcipua inter decora Gallicanae Ecclesiae recensendam esse Parisiensem Academiam, quae universum Terrarum Orbem sui nominis implevit celebritate? (3) Verum ne ipsi quidem plus quam ceteris Academiis, quod ad fidem pertinet, tribuendum est. Censuras, quibus Theses castigat, nondum probe Ecclesiae exploratas, nullum est nefas respuere; errori enim obnoxia est, nec semel quidem erravit (4) Eodem itaque jure eas ferre solet, quo & ceteris ferre licet Academiis, quarum Doctores, ut pri-

(1) V. Bossuetium in Praefat. ad laudatum opus pag. 2. & Lucinum de Romani Pontificis privilegiis in Appendice cap. 17.

(2) Petri Epist. I. cap. 5. v. 5.

(3) V. Claud. Hemeraeum de Acad. Par. Du-Brueil Antiq. Paris. Thomassinum de Vet. Eccl. disciplina T. 2. l. 1. c. 101. lib. 3. c. 71.

(4) V. lib. cui titulus la *Sorbone Tombee* vulgatum cum Clementis XI. decreto, quo suspendebantur privilegia, Parisiensi Facultati a S. Sede donata, quod multi ejus DD. Constitutioni *Unigenitus* adversarentur.

primum exortae illae sunt, id muneris, quo antiquissimis temporibus soli fungebantur Episcopi, olim ipso cum Episcopo Urbis suae, inde vero, & seorsim praestare consueverunt, quod tamen Gersonii aetatem non videtur superare. (1)

V. Tandem ea omnia, quae nos propugnare paratos exhibemus, non assentandi studio, sed veritatis amore propugnanda existimasse profitemur, & causam agere laetamur, quae Gallis ipsis, quibus adversari videmur, grata sit. Illam enim Cleri Gallicani Declarationem, quam oppugnamus, non solum damnavit Hungaria (2), detestata est Hispania (3), reprobarunt, & deleverunt Romani Pontifices, at ipse Ludovicus Magnus Galliarum Rex improbasse videtur (4), & plures quidem Galli Antistites ex ipsis illius auctoribus repudiaverunt, scribentes ad Innocentium XII. (5), *se de gestis hujusmodi vehementer quidem, & supra omne id, quod dici potest, ex corde dolere, ac quaecumque in*

(1) V. Thomassinum de nova, & veteri Ecclesiae disciplina lib. 1. cap. 101. num. 4. 5. 6.

(2) Ut dictum est Thesi 2.

(3) Officium Inquisitionis Hispanae decreto edito die 10. Julii 1683. Cleri Gallicani Theses de potestate Ecclesiastica variis perstrinxit censuris teste Lucino in Appen. c. 17.

(4) Innocentius XII. in Cardinalium Consistorio habito die 26. Oct. 1693. testatus est Regem Christianissimum Ludovicum XIV. certiorem suis literis eum reddidisse, Regium edictum, quo laudata Gallicana Declaratio firmabatur ita haberi jussisse ut neminem ad illius observantiam teneri perspectum esset & exploratum. Vide Gravesonium Hist. Eccl. t. 8. pag. 192. Edit. Rom.

(5) Innocentius XII. pacem Gallicanae Ecclesiae restituens id inter alia mandavit, ut Galliae Antistites, qui a Rege nominati ad Ecclesias fuerant, Conventus Parisiensis decreta revocarent, quod praestiterunt, ut ex hisce constat, quae ipse Pontifex in Consistorio praelaudato retulit. Vide Gravesonium laudatis locis, Sfondratum ad calcem Regalis Sacerdotii, Lucinum &c.

praefatis Comitiis , sive circa Ecclesiasticam Potestatem, & Pontificiam Auctoritatem decreta , sive in praejudicium jurium earumdem Ecclesiarum deliberata , pro non decretis , nec deliberatis habere , & habenda esse ; serio insuper spondentes , se ita in posterum gesturos , ut nihil penitus de vera eorum erga Sanctam Sedem obedientia , ac debito pro juribus ipsarum Ecclesiarum defendendis zelo desiderandum supersit .

CLE-

CLERI GALLICANI
DE ECCLESIASTICA POTESTATE
DECLARATIO.

Ecclesiae Gallicanae Decreta, & Libertates a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris Canonibus, & Patrum Traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu primatum Beati Petri, ejusque Successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur, & unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt, quo eam potestatem, quâ pax Ecclesiae continetur, invidiosam, & gravem Regibus, & Populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiae Matris, Christique adeo communione dissocient. Quae ut incommoda propulsemus, Nos, Archiepiscopi, & Episcopi, Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum ceteris Ecclesiasticis Viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito haec sancienda, & declaranda esse duximus.

CAPUT I.

PRimum Beato Petro, ejusque Successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiae rerum spiritualium, & ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino, *Regnum meum non est de hoc mundo;* & iterum: *Reddite ergo, quae sunt Caesaris Caesari; & quae sunt Dei Deo:* ac proinde stare Apostolicum illud: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas, nisi a Deo: quae autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate Clavium Ecclesiae directe, vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide, atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam; nec minus Ecclesiae, quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam.

THE-

THESES HISTORICO-POLEMICAE

AD CAPUT I

Declarationis Gallicanae.

I. MIramur Theologos, & Jurisperitos non defuisse, qui Summum Pontificem omnino dispoticam jure divino, non solum in Ecclesiasticis rebus, verum etiam in Politicis, potestatem habere censuerint (1), quin eorum nonnullos id quoque ex fide tenendum pronunciasse (2) plane obstupescimus, ostendere parati contrarium a sacris Literis insinuari (3), & ipsos Romanos Pontifices fassos esse (4).

II. Soli Deo Regi saeculorum Immortali, quoad Politicum regimen, subjacent Christiani Principes, & Ethnici: *Divino solum Judicio subditus est, qui Rex est* (5).

III. Nul-

(1) V. eorum Catalogum apud Bellarminum de Rom. Pontifice l. 5. c. 1.

(2) V. Bossuetium in Defensione &c. parte 2. lib. 4. cap. 2.

(3) Ut Ep. ad Cor. cap. 5. v. 12. Joan. cap. 18. v. 36.

(4) Gelasius Ep. ad Anastasium Augustum: *Duo sunt*, ait, *Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur, Sacerdotalis auctoritas, & Regalis potestas, utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est*. Similia habent Nicolaus I. in Ep. 2. ad Michaelem Imperatorem, Gregorius II. Ep. ad Leonem Isauricum, quae recensetur ante Acta septimae Synodi; Alexander III. cap. 7. *de Appellat.*, & cap. 7. *qui filii sunt legitimi*, Innocentius III. cap. per *venerabilem qui filii sunt legittimi*, & cap. *novit. de Judic.* &c.

(5) Isid. Pelusiota lib. 5. Ep. 383.

III. Nullum eſt regimen Monarchico antiquius, nullum utilius, praeſtantius, felicius (1): In Deo ipſo ejus exemplar elucet (2), qui unus omnia regit, hominibuſque rerum primordiis palam ipſe regio jure imperavit (3), uti deinceps electo Populo (4), donec Regem illi dederit Saulem (5).

IV. Principio rerum nullum aliud imperium, quam paternum. Adamus omnium primus id obtinuit, cujus in poteſtatem uxor eſt tradita, filii, nepotes (5). Idipſum animadvertere fas eſt, poſtquam foeda illa aquarum eluvies, quae Terras obruerat univerſas, receſſit. Patrio ſub imperio multae degebant familiae, ea praecipue, quae a Sem ortum ducens vetuſtas humani generis traditiones, tum quae ad Divinum cultum reſpicerent, cum eas, quae ad πολιτικὴν pertinerent, ſartas, tectaſque ſervare ſtudebat. Abraham,

(1) Si Calvinum excipias lib. 4. Inſt. cap. 6. §. 9. & cap. 20. §. 8. nonnulloſque alios recentiores haereticos, qui vel ut omnino vias obſtruerent ad Eccleſiaſticam Monarchiam conſtituendam vel ut illi blandirentur regimini, ſub quo degebant, aut degere cupiebant, temere adverſantur; probant id ceteri fere omnes veteres, recenteſque Theologi, Hiſtorici, & Juriſperiti, & Civilis doctrinae Scriptores, quorum plurimos recenſet Junius Polit. Quaeſtionum parte 1. quaeſt. 4. Bellarminus de Rom. Pont. lib. 1. c. 2. &c. Satis hic erit adnotare ex ſacris Literis invictiſſime id adſtruere Joan. Stephanum Menochium e Soc. Jeſu in lib. 1. c. 4. Hieropoliticwn, ſive inſtitutionis Politicae ex Sacris Scripturis depromptae, & Cl. Boſſuetium Meldenſem Epiſcopum in Politica Sacra lib. 2. art. 1. prop. 7. & 8.

(2) Unde Philo περὶ καταϛ. ἀρχ. ἡγεμονία πρὸς ἀρχέτυπον τὴν Θεοῦ βασιλείαν ἀπεικονισθεῖσα. *Principatus ad archetypum Dei regnum efformatus*. Et Plato in polit. Ο᾽ βασιλεὺς, ὡς Θεὸς ἐξ ἀνθρώπων. *Rex Deus quiſpiam humanus eſt*.

(3) Conſtat ex iis, quae a Deo geſta narrantur Gen. c. 3. & c. 4. & c. 9.

(4) V. Judic. c. 8. v. 23. Lib. autem 1. Para. c. 39. v. 23. & lib. 2. cap. 9. v. 8. thronus Dei, thronus Regnum Iſrael appellatur.

(5) Lib. 1. Reg. cap. 10.

(6) Conſtat ex Geneſ. cap. 3. v. 16. & cap. 4. v. 1.

braham, Jacob, Isaac natis natorum, & qui ab illis nati erant suprema imperarunt potestate: & Reges apud se excipiebant (1), cum Regibus nunc pugnas inibant (2), nunc foedera percutiebant (3), & *Domini*, *& Principes Dei* a Populis appellabantur (4).

V. Jam vero cum plurimum multiplicati forent homines, & late per universum Terrarum Orbem dispersi, tot fere Reges recensebantur, quot Urbes (5): duplici autem ratione id factum esse constat: Populorum consensu, & jure belli.

VI. Quoniam igitur ex conditionis aequalitate dissidia plerumque solent exoriri, cum nulla sine ordine tranquillitas esse possit, natura duce, cujus auctor Deus, ad formam paterni Imperii plures uniuscujusque Urbis, aut Regionis familiae unum ex millibus, qui communis Patris loco esset, constituere; suam ipsorum ejus arbitrio libertatem subjicientes, ut eorum ille studeret quieti, & incolumitati.

VII. Id genus Imperii, primum post paternum, ad cujus exemplar factum est, extitisse videtur; nec sane ad alios homines, quam *ad justissimos, & sapientissimos deferebatur, cum Reges illos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis proveheret, sed spectata inter bonos moderatio* (6).

VIII. At

(1) Genes. cap. 21. v. 23.
(2) Genes. 14. v. 14.
(3) Genes. c. 21. v. 32. c. 26. v. 28.
(4) Genes. c. 23. v. 6. in Abraham vocarunt filii Heth. Audi nos Domine Princeps Dei. Illud *Princeps Dei* apud doctiores idem est, ac *Princeps magnus*, solent enim Dei nomen addere sacrae literae rebus illis, quas extollunt.
(5) V. Genes. cap. 14. & lib. Josue cap. 12. Justinum quoque lib. 1. cap. 1. *intra suam cuique Patriam Regna finiebantur*.
(6) V. Justinum lib. 1. c. 1. cujus verba excripsit etiam D. Aug. de Civit. Dei lib. 4. c. 6. Ciceronem lib. 3. de Legib. cap. 2. Sallustium Belli Catil. c. 1.

VIII. At vero praeter hanc aequam ſane, & plane innocentem Regnorum conſtituendi rationem, aliam invexit ambitio. Primus omnium Nemrod filius Chus, *robuſtus venator coram Domino*, coepit eſſe bellando potens (1); maximamque gloriam maximo in imperio putans, bella finitimis intulit, *& fuit principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar* (2). Nemrod exemplum non defuere, qui imitarentur (3). Libidinem dominandi cauſſam belli habebant (4); & hinc non unius Urbis, aut Regionis, ſed plurium Provinciarum imperia exorta, quae etſi injuſta, tunc primo erant, & tyrannica; inde tamen legitima facta ſunt Populorum conſenſu, & pacifica multorum annorum poſſeſſione (5). Si haec declarationis Cleri Gallicani vindex (6) animadvertiſſet, haud puto, tam facile Gregorium VII. *antiquarum rerum ſumme imperitum* pronunciaſſet, quod in malos ſui temporis Principes aequa tactus ira in illa proruperit verba: *quis neſciat Reges, & Duces ab iis habuiſſe principium, qui Deum ignorantes, ſuperbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidiis, poſtremo univerſis pene ſceleribus, mundi Principe Diabolo videlicet agitante, ſuper pares licet homines dominari, coeca cupiditate, & intolerabili praeſumptione affectaverunt* (7).

IX. Ani-

(1) V. Geneſ. cap. 10. v. 8. & 9. Juſtinus autem laudat, loco Oroſius l. 1. c. 4. Fabius Pictor in frag. Ninum ante ceteros omnes bella intuliſſe finitimis perhibent: Nino enim, & quae ipſe geſſit, & quae Nemrod idem ac qui Nini Pater Belus fuiſſe videtur, tribuerunt. Vide Rollinum Hiſt. Antiq. tom. 2. edit. Venet. pag. 12.

(2) Geneſ. cap. 10. v. 10.

(3) V. laudatos profanos Scriptores, & Geneſ. 14. v. 4. 5. 6. 7.

(4) Salluſtius, Juſtinus &c.

(5) Juſtinus lib. 1. c. 1. *Ninus magnitudinem quaeſitae dominationis continua poſſeſſione firmavit.*

(6) Boſſuetius in Defenſione part. 2. lib. 4. cap. 10.

(7) Verba ipſa D. Gregorii lib. 8. Epiſt. 21.

IX. Animadvertendum autem eſt, quod etſi prima bellorum origo ambitio fuit, & effraena dominandi libido, plurima tamen deinceps ipſa recta ratio ſuaſit, in quibus quicquid ab hoſte ablatum fuerit, & jure belli partum, & juſte retentum, dicendum eſt. Hoc jus antiquiſſimum eſſe, & aequiſſimum haud licet ambigere, nec fore putamus, quem lateat Populorum omnium probatum eſſe conſenſu, nec uno in loco a ſacris Literis teſtatum (1).

X. Jam vero cum per Chriſtiani Sacerdotii inſtitutionem nihil ſane in regnandi jure immutatum fuiſſe arbitremur, Reges, & Principes nullo pacto a Romanis Pontificibus in Politicis pendere credimus, poteſtatemque ſuam a Populis immediate accepiſſe, a Deo vero, quatenus ipſe Principatum in Terris voluit, Regnorumque ideam hominibus indidit, & ſacramentum ſe Principibus ſubjicientes Populi dicunt, affirmamus. Pacto regnorum ſtant jura, & pacti ſponſor Deus ipſe eſt. *Non eſt poteſtas niſi a Deo, quae autem ſunt a Deo ordinata ſunt* (2).

XI. Itaque ſi Romani Pontifices Infidelium regiones Chriſtianis Principibus aliquando aſſeruerunt, non eo feciſſe videntur, quod earum eſſent Domini, ſed pronunciando jure belli acquiſitas eas eſſe, aut acquiri poſſe.

XII. Ne

(1) V. Gen. cap. 42. v. 22. Lib Jud. cap. 11. a v. 13. ad 27. Lib. 1. Mac. cap. 15. v. 35.

(2) Paulus in ep. ad Rom. cap. 13. v. 1. D. Joan. Chryſoſtom. Hom. 23. egregie ad rem noſtram ita explicat. *Quid dicis? Omnis ergo Princeps a Deo conſtitutus eſt? Iſtud non dico. Nec enim de quovis Principe mihi ſermo nunc eſt, ſed de ipſa re. Quid enim Principatus ſunt, quodque hi quidem imperant, alii vero ſubjecti ſunt; quodque non ſimpliciter, ac temere cuncta feruntur, nec fluctuum inſtar populi huc, atque illuc circum aguntur, divinae ſapientiae opus eſſe dico. Propterea non dicit: Non enim Princeps eſt niſi a Deo, ſed de re ipſa diſſerit dicens: Non enim poteſtas eſt niſi a Deo.*

XII. Ne quis autem hoc miretur, animadvertere fas sit majorum more ea omnia, quae in incerto sunt, & valde dubia ad Sedem Apostolicam referri (1), cujus potestatem nimis profecto debilem, & mancam, & ad Ecclesiam regendam minus fortassis idoneam conciperemus, quoties eam a Christo non accepisset auctoritatem expediendi nimirum, quae circa naturale, & divinum jus oriri possunt dubitationes. Porro & declaratio, Principem aliquem a regnandi jure excidisse, quod eam non servaverit Populis suis fidem, quam ab illis pacti fuerunt, cum suam illi fidem adstringerent, & obligarent, ad Romanum Pontificem potissimum spectare certum ducimus: Etenim cum gravissima res sit, summamque prudentiam exposcat, ipse unus prae ceteris, utpote communis Pater, & idcirco partium studio liber, judicium tantum ferre posse videtur. Attamen Nationalia quoque Concilia idipsum aliquando praestitisse compertum est. Concilii enim Toletani Patres, Gothorum Proceres, & Plebem sacramenti Religione, quo Regi Wambae obligati erant, spontanea ejus abdicatione solutos declararunt (2).

XIII. At vero quod parati simus contendere, Reges, & Principes a Romanis Pontificibus in regnandi jure non pendere, non idcirco tamen in iis quoque, quae ad Christianam Religionem pertinent, illis obtemperare Christianos Principes non debere volumus; utpote

(1) Innocentius I. Ep. 4. ad Felicem Nucer. *Mirari non possumus Dilectionem tuam sequi instituta Majorum, omniaque, quae possunt aliquam dubitationem recipere, ad nos quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedis Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet.*

(2) Videndus Can. 1. Concilii Toletani XII. qui refertur etiam a Natal. Alex. ubi recte probat Regem Wambam a Toletano Concilio exauctoratum non fuisse. Diss. 4. in Hist. Eccl. sec. 7.

pote Ecclesiae membra sunt, Romano Pontifici supremo Ecclesiae Capiti, ut ceteri hominum subjacent (1); quin Episcopi ipsi non solum admonere, & castigare, sed nisi id auctoritatis nunc sibi reservasset Romanus Pontifex, vel anathemate eos plectere possent, quod quidem factum olim fuisse non semel produnt historiae (2). Quamobrem cum Politici quidam homines soli Deo Lotharium Regem subesse dictitarent, *haec vox*, clamabat Hincmarus, *non est Catholici Christiani, sed nimium blasphemi, & spiritu Diabolico pleni* (3).

XIV. Hic tamen nobis temperare haud sane possumus, quin tot Clarissimorum Principum in Romanum Pontificem observantiam plane singularem non memoremus, qui non solum Regium nomen, & insignia ab eo accipere (4), avitaque Regna ejus Clientelae committere, (5) eique tributaria reddere consueve-

ve-

(1) Eleonora Angliae Regina, satagens pro filio in Austria captivo, sic Coelestinum Papam affatur Ep. apud Blesensem 145. *Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis, a Deo omne regnum, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux a vestrae jugo Jurisdictionis eximitur.*

(2) Hac poena mulctatus est Clotarius a S. Nicetio Treverensi Episcopo. Spond. an. 565. 4. Charibertus S. Germano Episcopo Parisiensi. Spond. an. 570. 5. Boleslaus a S. Stanislao Cracoviensi Episc. Spond. 1079. 7. &c.

(3) Hincmarus Opusc. de divortio Lotharii, & Thetbergae ad interrogat. 6.

(4) Accepit S. Stephanus Hungarorum Rex. Rainal. an. 1233. n. 51. Accipere desideravit a Xisto III. Joan. Basilius M. Dux Moscoviae apud eundem Rainal. an. 1484. n. 26. Plura videas apud Dianam Resol. Moral. p. 10. tract. 6.

(5) Illustrat id pleno calamo Cl. Thomass. tom. 3. l. 1. c. 32. Etiam Jacobus Gretserus Soc. Jesu Commentariolum *de Imperatorum, Regum, ac Principum Christianorum in Sedem Apostolicam munificentia* scripsit non contemnendum: prodiit Ingolstadii ann. D. 1610.

verunt ; sed vel Stratoris officium ei exhibere (1), cumque gestantis equi habenas regere , (2) ejus mensae ministrare (3) , pedes deosculari (4), filios dici (5), & Consiliarios (6) honori sibi duxerunt , & ornamento . Ex animo scilicet eam in Romano Pontifice dignitatem venerabantur, qua decoratus , illius vices in Terris gerit, cujus in femore scriptum est *Rex Regum* , *&* *Dominus Dominantium* (7) .

XV. Porro nec unum sane Romanum Pontificem honore habuerunt Christiani Principes ; sed Episcopos quoque ipsos diligenter colere , & observare non dedignabantur . Ad Nicenum Concilium cum venerit Constantinus Magnus; in medio Conventus primo constitit

(1) Ut Pipinus Rex Stephano II. Ludovicus Lotharii Imper. filius Nicolao I. apud Thomass. p. 2. l. 3. c. 62. n. 1. 2. Conradus Rom. Rex Urbano II. Willelmus Calabriae , & Apuliae Dux Callisto II. Lotharius Imp. Innoc. II. Carolus Imp. V. & Franciscus Galliarum Rex II. Clemen. VII. Thomass. p. 2. l. 3. c. 65. per totum . Memorabile autem est quod ex Baronio narrat n. 5. Fridericum nimirum Adriano IV. id officii praestare recusasse ; praestitisse tamen Imperii Principum judicio coactum.

(2) Obivit id muneris Sigismundus Imp. equitante Martino V., vide Franc. Porter in Systema. Decretor. &c. pag. 520. Franc. Pagium in Breviar. Tom. 2. p. 2. in Vita Martini V. n. 4. & 15. Aselli Coelestinum V. gestantis habenas rexisse hinc inde Hungariae, & Siciliae Reges ex Rainaldo refert Thomass. tom. 2. l. 3. c. 66. n. 7.

(3) Praestitit id Benedicto XIII. Ferdinandus Aragoniae Rex, ut ex Mariana lib. 20. cap. 6. notat Thomass. p. 2. l. 3. c. 65. n. 11. an. 1295. Bonifacio VIII. Carolus Rex Siciliae , & ejus filius Carolus Martellus Rex Hungariae. Thomass. p. 1. l. 2. c. 114. n. 5.

(4) Ut fecit Constantino Papae Justinianus II. teste Thomass. 2. 3. 60. 4. & alii passim Imper. & Principes , ut videre est apud eumdem Thomass. 2. 3. 65. 5.

(5) V. Thomass. p. 2. l. 3. c. 6. n. 3. & 4. in principio .

(6) Joan. VIII. declaravit Consiliarium suum Regem Carolum Crassum . Inde vero Regem Ludovicum Balbum Crassi filium. Thomass. p. 1. l. 2. c. 101. n. 15. Carolus Calvus vices Joan. VIII. in Pontigonensi Concilio tenere gestiit . Thomass. p. 1. l. 2. c. 116. n. 9.

(8) Apoc. cap. 19. v. 16.

ſtitit erectus, cumque illi parva quaedam ex auro ſella eſſet poſita, non prius ſedit, quam Epiſcopi, ut id faceret, innuiſſent (1). Angliae Reges non ſolum oſculo eos excipiebant (2), ſed Henricus II. vel habenas equi S. Thomam Canthuarienſem Archiepiſcopum geſtantis regere non erubuit (3). Robertus Galliarum Rex cum in quodam Epiſcoporum Conventu Lingonenſem Epiſcopum viderit ſede locatum altiore, unde ejus pedes humi quieſcere non poſſent, ipſemet ſcabellum ſumens Epiſcopi pedibus ſubjecit (4). Porro ſi Regem ipſum excipias, regiſque filios, uxoremque, ſupra omnes etiam regii ſanguinis Principes ſedere Epiſcopis quondam datum erat (5); quin Epiſcopus, qui regiis nuptiis praeſediſſet, vel ante ipſum Regem nuptiali menſae accumbebat (6). Magna ſcilicet Epiſcoporum eſt dignitas, quibus ſingulis ſinguli Chriſtianorum greges ſunt crediti, Apoſtolos referunt, & ſummam Sacerdotii obtinent majeſtatem.

XVI. At vero quid jam de ea Romani Pontificis in Reges indirecta poteſtate, cui adverſantem ſententiam *publicae tranquillitati neceſſariam eſſe declaravit Clerus Gallicanus; nec minus Eccleſiae, quam imperio utilem, & ut Verbo Dei, Patrum Traditioni, Sanctorum exemplis conſonam, omnino retinendam?* Indirecta Romani Pontificis in Principes poteſtas ea eſt, quod ſi quis Princeps Religioni Chriſtianae deſtruendae incumberet, nec alia ſupereſſet via, ut a propoſito revocaretur, poſſit Romanus

B Pon-

(1) Conſtat ex Euſebio l. 3. de vita Conſtantini c. 10. ex Socrate. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 5. & ex Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 7.

(2) Thomaſs. p. 2. l. 3. c. 64. n. 4. 5.

(3) Thomaſs. p. 2. l. 3. c. 64. n. 4.

(4) Thomaſs. p. 3. l. 3. c. 64. n. 1.

(5) Thomaſs. p. 2. l. 3. c. 64. n. 6.

(6) Thomaſs. p. 2. l. 3. c. 64. n. 7.

Pontifex illius subditos a fide, & obedientia eximere, & praestito solvere fidelitatis sacramento. Hoc posito indirectam hanc potestatem antiquos Patres non inficiari, cum directam negant, affirmamus: insigne enim inter utramque discrimen intercedit; quicquid dicat Bossuetius (1).

XVII. Porro quod Tornacensis Episcopus non sit veritus scribere (2), Gregorium Sanctissimum Pontificem, quod eam exercuerit potestatem, *enormem* Μοναρχίαν *supra Christi institutionem de repente sibi arrogasse, periculosum, immo & perniciosum errorem adversum sensum S. Scripturae, & SS. Patrum divulgasse*; insolentiam ducimus plane detestabilem.

XVIII. Enimvero quidquid contra indirectam Romani Pontificis potestatem ex sacris Literis afferunt commode explicatur: & diu quoque ante Gregorii tempora indirectam quamdam potestatem in temporalia Principum Romani Pontifices exercuisse videntur (3). Sicuti deinceps exercuerunt, ipsis etiam Oecumenicis Conciliis adprobantibus (4).

XIX. Progressu autem temporis indirectae Romani Pontificis in temporalia Principum potestatis sententia,

(1) In Defensione p. 2. l. 4. c. 2.

(2) In Epistola ad Martinum Steyaertium Lovaniensem doctorem.

(3) Gregorius II. multarum Regionum imperio expoliasse videtur impium Leonem Isauricum. Theophanes in Chronographia postquam ad Leonis an. 9. adnotavit Gregorium Papam vetasse ut Leoni tributa solverentur, quod contra sacras Imagines nova moliri cogitasset, deinde ad Leonis an. 13. haec habet: *In veteri Roma Gregorius, sacratissimus Vir Apostolicus, Petrique Apostolorum coriphaei consessor, verbo, & opere praelucebat: qui Romam, atque Italiam, totumque Occidentem a Leonis obedientia tam civili, quam Ecclesiastica, & ab ejus Imperio subtraxit.*

(4) V. Franciscum Pagium in Breviario Gestorum Pontificum Romanorum tom. 2. par. 1. in vita Innoc. IV. n. 22.

tia, nonne adeo invaluit, ut Theologi pene universi eam amplexati fuerint, & Jurisperiti, ita ut apud quosdam illam negare haeresis haberetur? (1) Quin ipse Gallicanus Clerus probabat (2), & ipsa asserebat Sorbona (3): & ne ipsi quidem Principes inficias ibant.

XX. *Me quoque, licet indignus inter Christianos, sum ad Regnum vocatus te teste, quem Sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine nisi a fide (quod absit) exorbitaverim, deponendum asseruit &c.* scripsit Gregorio VII. Henricus IV. Imperator. Et ne memorem Carolum VIII., qui Orientis Imperium ab Alexandro VI. petiit (4). Ne quid de Graecorum Imperatore Emmanuele Comneno dicam, qui bis ab Alexandro III. Occidentis Imperium postulavit, quo male utebatur Fridericus Oenobardus; (5) & ut silentio libens praeteream Philippum Pulcrum, qui, Alberto Imperatore interfecto, Clementem V. rogavit, ut sibi, vel fratri Carolo Imperium deferret, ut a Germanis, ad quos delapsum erat, ad Gallos rediret (6): quammulti Principes compararunt exercitus,

 quam-

(1) Ita quidem sensit Aeneas Silvius; postea Pius II. in Oratione ad Australes quam edidit Cl. Ant. Muratorius Anadect. 60. 3. Consule etiam Antoninum Dianam in Tract. Historico-Juridico-Theologico de Potest. deponendi Reges Resol. 8.

(2) V. Gramondum l. 1. histor. ad annum 1615.

(3) Constat ex Ep. quam Peranda an. 1592. die 16. April. dedit ad Patriarcham, & Legatum Cajetanum; ubi haec erant. *Sorbona hujus sententiae est, urgetque Pontificem ut ipse Regem Galliae pronuntiet, declaretque; alioquin Gallia conclamata est, expersque remedii. Et esse hanc potestatem Pontifici Regem declarandi rationibus plane evidentibus, multisque exemplis ostendunt. Imo adjungunt, ubi Pontifex Regem pronunciaverit, isque in Gallia denuntiatus fuerit, continuo a Clero, & ab omnibus Catholicis receptum iri.*

(4) V. Spondanum ad ann. 1495.

(5) Videndi Baronius ad annum 1166. & ejus Compilator Spondanus ad eundem annum; & ad 1170. Blondus decad. 2. lib. 1.

(6) Vide Conradum Vecerium in libro de Gestis Henrici VII. Bzovium ad annum 1307.

quammulti ſtruxerunt Claſſes, ut ea occuparent regna, quibus principes Eccleſiae perduelles Romani Pontifices voluerunt exutos (1).

XXI. Ne igitur turpiſſimi erroris tanti inſimulentur viri, ſententiam illam, quae laudatam poteſtatem Romano Pontifici abjudicat, nullam ſibi certam aſſerere poſſe auctoritatem, tum ex ſacris Literis, tum ex Sanctis Patribus noviſſe edicimus: Romanumque Pontificem validiſſimas habere rationes, quibus eam ſibi vindicet, neque ſane id imperio, aut Eccleſiae minus utile, publicae autem tranquillitati contrarium eſſe; at potius ad fidei firmamentum facere, & augmentum, ad concordiam Sacerdotii cum Imperio, ad Regnorum felicitatem, & Populorum ſalutem.

CA-

(1) V. Matth. Pariſium ad ann. 1213. Franciſcum Pagium in Breviario &c. tom. 2. part. 1. in vita Innoc. III. n. 52. & 59. &c.

CAPUT II.

SIc autem inesse Apostolicae Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicariis, rerum Spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctae Oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita Decreta de Auctoritate Conciliorum Generalium, quae sessione quarta, & quinta continentur; nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiae sint Auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

THESES HISTORICO-POLEMICAE

AD CAPUT II

Declarationis Gallicanae.

I. PRimum illud, quod Clerus Gallicanus hoc capite declarat, *inesse Apostolicae Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum Spiritualium plenam potestatem*, veneramur, & profitemur (1) laudare tamen non possumus, quod ad eam potestatem explicandam Constantiensis Concilii sessiones quartam, & quintam adhibendas esse inde censeat.

II. Nec multum nostra interest, a Gallicana Ecclesia non probari, qui illarum Sessionum decreta dubiae auctoritatis esse & minus adprobata, & solum schismatis tempus respicere asserunt; amica Gallicana Ecclesia, sed magis amica veritas.

III. Neque sane litem illam agitare mens est, (2) an

1) Audi Sacrosanctam Tridentinam Synodum sess. 14. c. 7. *Merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, caussas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare &c.*

(2) Excitavit hanc litem primus M. Emmanuel a Scheltrate Vatican. Bibl. Praefectus c. 1. art. 1. operosae illius Dissertationis, quam contra caput hoc Declarationis Gallicanae edidit cum aliis Concilii Const. fragmentis Antuerpiae an. 1683. Oppugnatores tamen habet acerrimos Bossuetium in Defensione &c. 22. l. 9. c. 4. 5. &c. Natalem Alexandrum in Historia Ecclesiastica sec. 15. & 16. dissert. 4. &c.

an laudatae Constantiensis Concilii sessiones interpolatae videri debeant, etsi, quod spectat ad quartam, verba illa quae nunc ibi leguntur: *Et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite, & in membris:* non solum in novem MS., quae consuluit Scheltratius desiderantur, sed neque in prima editione sunt, neque in MS. Concilii Constantiensis duobus Vindobonensibus, neque in Volfenbuttelensi, Brunsuvic. Gotth. & Lipsiensi (1). Earum sensum, & auctoritatem, quae duo declaratio Cleri Gallicani attigit, disputationi nostrae scopum ponimus.

IV. Concilium itaque Constantiense, cum sessiones quartam, & quintam habuit, an Oecumenicum fuerit non constare parati sumus ostendere; quin Oecumenicum vere non fuisse, probabilius affirmari, probabimus.

V. Multi quidem ex Constantiensibus Patribus aegre tulerunt, quod laudatis sessionibus ea ederentur decreta (2); & debito examine non fuisse stabilita ex ipsius Concilii Actis comperimus.

VI. Praeterea non solum nihil est, quod obstet, quominus affirmemus, laudatarum Sessionum decreta Papam dubium, Schismaticumque respexisse; verum idipsum tum ipsa Concilii Constantiensis Acta, tum

 ipsa

(1) Monent id nuperi Editores Const. Concilii in Germania tom. 4. pag. 86., ut ad illa verba *Et reformationem &c.* adnotatum est in nova Conciliorum Editione Veneta tom. 16. pag. 67. ubi illud quoque additur neminem unquam laudasse MS. codicem, ubi ea verba reperiantur; sed injuria: cum multos laudet Natal. Alexander, &c. In MS. cujusdam margine erat. *Iste articulus imperfecte fuit factus, ut sequitur, ideo suppletur in sessione sequenti.*

(2) V. Eminent. Card. de Turrecremata lib. 2. c. 99. Joannem XXIII. in Epist. ad Ladislaum Regem Poloniae. Eugenium IV. in Apologia contra Patres Basileenses p. 18. MS. apud Scheltratium &c.

ipsa Decretorum illorum verba innuunt apertissime.

VII. Frustra autem contendit Bossuetius Martinum V. laudatas Constantiensis Concilii sessiones confirmasse, cum ea tantummodo S. Pontifex adprobare decreta professus sit (1), quae *in materiis fidei facta erant conciliariter*, quod quidem nullo pacto illis convenit.

VIII. Neque sane feliciore eventu auctoritatem illam asserere ex eo contendit, quod Basileensis Concilii Patres illas adprobaverint. Basileense enim Concilium, si primam excipias, (2) nullam habuisse sessionem, quae Oecumenici Concilii auctoritatem sibi arrogare possit, probe novimus.

IX. At vero cum allato capite Clerus Gallicanus illud praecipue docere velit Romanum Pontificem subesse Concilio, ut tantam doceret rem, nihil aliud afferre potuisse, ac dubiae auctoritatis testimonium, haud prorsus probati Concilii non miramur, scientes sacras Literas (3) haud obscure quidem suadere Romanum Pontificem Conciliis praeeminere, cum toti Ecclesiae praeeminere Petrum nos moneant.

X. Etiam antiquissima Concilia, & Patres omnes qui monarchicam Romani Pontificis potestatem supra omnes quoscumque Christianos homines etiam Episcopali dignitate insignitos adstruunt, a nostra caussa stare quisque fatebitur, qui animadvertat distinctionem illam, quam inter Episcopos singillatim sumptos, & col-

(1) Sess. 45. quae celebrata est die 22. Aprilis an. 1418. & tunc Costantiense Concilium absolutum est, quod inchoatum erat an. 1414. mense Novembri.

(2) Sessio 1. Basileensis Concilii habita est 7. Idus Decembr. anno 1431.

(3) Ut Matth. cap. 16. 17. v. 18. 19. Joann. 21. v. 15. 16. 17. Luc. 22. v. 32. &c.

collective , invenerunt recentiores , a sacris Literis nunquam innui , & neminem ex Patribus unquam novisse .

XI. *Multis praeterea Apostolicis , & Canonicis , atque Ecclesiasticis instituimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari :* (1) *Cum Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicae Sedi B. Petri singulari Privilegio sit tradita , & nulla umquam Synodus rata legatur , quae Apostolica auctoritate non fuerit fulta .* (2) S. Leo Papa nonne Calcedonensis Concilii Can. 28. ubi Constantinopolitano Patriarchae, contra jus Patriarchae Alexandrini, primus post Romanum Pontificem locus asserebatur , delevit ? (3) Nonne Constantinopolitano tertio rerum definiendarum regulam dixit Agatho ? (4) Favet hoc maxime opinioni nostrae , & multa faciunt Galli , ut argumenti vim infringant ; at phaleratis dictis leves ducunt viros , non graves .

XII. Et quoniam ab iis, qui nobiscum sentiunt illud obiici criminatur Bossuetius , (5) Episcopos tantummodo , ut Consiliarios Oecumenicis interesse Conciliis; ne quis malevolus idipsum & nobis vitio vertat, sententiam illam profiteri testamur , Episcopos in Conciliis , praecipuè si eos una cum Romano Pontifice spectemus, jus

(1) Pelagius Papa II. Epist. 6.

(2) Pelagius Papa II. Epist. 8.

(3) V. S. Leonis Epistolas 53. 61. 62.

(4) Patet ex multis locis Epistolarum hujus S. Pontificis . Satis erit hic adnotare , quae leguntur in Epistola ad Synodum *Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae fortitudinis vestigia , quae omnium nostrum suggestionem , in qua & apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus , offerre debeant , non tamen tanquam de incertis contendere , sed ut certa , atque immutabilia compendiosa definitione proferre , simpliciter , obsecrantes ut haec eadem omnibus praedicari , atque apud omnes obtinere jubeatis .*

(5) In Defensione part. 2. lib. 13. c. 11.

jus Suffragii consulentis non modo, verum etiam decernentis habere, (1) & id nihil officere, quominus Conciliis ipsis Romanus Pontifex praeemineat.

XIII. Porro neque illud putamus, hanc illum obtinere praeeminentiam, quod Episcopi potestatem, jurisdictionemque suam ab ipso mutuentur, sed quod a Christo Princeps, & Monarcha totius Ecclesiae ille sit constitutus: quamquam nec illam profecto sententiam improbamus. Unanimem enim Conciliorum, Patrum, Scriptorumque omnium Ecclesiasticorum antiquissimam traditionem, eo conspirantem, ut Episcopi Apostolorum Successores habeantur (2), veneramur quidem, & asserimus; at ex ea successione illud constare, nullo pacto a Papa, sed a Christo immediate Jurisdictionem suam Episcopos habere non videmus.

XIV. Profecto etsi Episcopi sacrum faciendi potestate, nec non solvendi, & ligandi (3) a Deo ipso donantur, quia tamen in modum judicii praestare haec debent, & *natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in Subditos dumtaxat feratur*, (4) a Romano Pontifice, quum novos instituere Episcopatus, antiquare vetustos, unum in plures dividere, in unum plures conflare, ipsisque Episcopis Dioeceses mutare, & abrogare

(1) Videndus Thomassinus toties laudato opere tom. 1. lib. 1. c. 2. c. 50. c. 52. c. 56. S. Tridentina Synod. sess. 23. c. 4. ita loquitur: *Proinde S. Synodus declarat, praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere.*

(2) V. Bellarminum de Conciliis libr. 1. c. 18. Et Nat. Alex. in Hist. Eccl. sec. 11. & 12. Diss. 4. art. 15. & schol. ad hunc articulum &c.

(3) Matth. c. 18. v. 18. Joann. 20. v. 23.

(4) Verba sacrosanctae Trident. Synod. sess. 14. de Sacram. Poen. cap. 15. ex quo loco inter Ordinis, & Jurisdictionis potestatem insigne discrimen intercedere dignoscitur.

rogare possit (1) ubi potestatem exerceant suam, Jurisdictionis nempe potestatem eos accipere censemus, *scientes quid Apostolicae Sedi debeatur, a qua ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit.* (2)

XV. Hinc profecto est neminem Episcoporum in aliena Dioecesi Jurisdictionem exercere debere; (3) exercere tamen posse, & quidem exercuisse Romanum Pontificem ex rerum Ecclesiasticarum monumentis compertum fieri (4).

XVI. Haud inficiamur, tamen aliquo Ecclesiae discrimine, aliena in Dioecesi laborare Episcopos posse (5), nullis enim finibus coarctatur charitas, eamque auctoritatem a Principe universae Ecclesiae Pastore, libenter concedi putandum est (6).

XVII. Item neque Romano concedimus Pontifici, ita in omnibus Christiani Orbis Episcopatibus exercere Jurisdictionem, ut inconsulto id faciat: sapientia, & charitas potestatis ejus usum moderentur opus est, ut illud potius agat, quod debet, quam quod possit.

XVIII. Si qui Episcopi Jurisdictionis hujus usui aliquando restiterunt, aut pauci sunt, aut ne illa effuse, & sine causa exerceretur, id fecere, & omnes demum ferme ad unum acquieverunt, & numquam de po-

(1) V. D. Bernardum Epist. 131. 2. Thomass. tom. 1. lib. 1. cap. 55. 56. 57. & 58.

(2) Innocentius I. Epist. ad Concilium Carthaginense.

(3) C. Quamvis *De foro competenti*. In Clement. & Trid. Syn. sess. 6. in decreto de Reform. cap. 5. Vetustiora cupiens adeat can. 2. Constantinopolitani primi, can. 15. Aurelianensis tertii &c.

(4) V. Thomassinum tom. 1. lib. 1. cap. 1. 43. 44. 45. 55. 56. 57. 58.

(5) Ut egit S. Epiphanius. V. Spondanum ad an. 392. n. 8. Natal. Alex. in Hist. Eccles. secul. 1. diss. 4. art. 4. ad sextam objectionem.

(6) Suadent jura Leg. *Inter omnes* 47. 4. *Recte* &c. *de furt.* ubi ad rem plura congerit Glossa.

potestatis plenitudine disputaverunt. Quamobrem raras profecto fuisse de Jurisdictione lites inter Romanum Pontificem, & Episcopos comperimus, cum ei jura sua sponte offerre consueverint Episcopi, & vicissim ille nihil aggredi in eorum Dioecesi solitus sit, quod ipsis probandum non speraret (1).

XIX. Quid quod nullum aliud adire licet tribunal, unde judicium de eadem caussa reddatur iterum, quam judicaverit Romana Sedes (2)? Nonne fateamur oportet, eam igitur Sedem suprema pollere potestate? (3)

XX. Quum itaque sacrae Literae, & Conciliorum, & Patrum antiquissimorum Traditio, & Oecumenica ipsa Concilia Romani Pontificis supra Concilium potestati faveant, Galli vero, ut eam denegent, alios non sibi valeant auctores asserere, praeter Theologos

(1) Plurima ad has Theses confirmandas exhibet vir eruditissimus Ludovicus Thomassinus tom. 1. lib. 2. cap. 6.

(2) *Sedes B. Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque umquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus*. Verba sunt Gelasii Papae in Epist. ad Episcopos Dardaniae. Damnarunt itaque appellationes a Concilio ad Papam Pius II. in Constit. *Execrabilis &c.* Julius II. Constit. 22. quae incipit *Suscepti &c.* Martinus V. sess. ult. Conc. Constant. Leo X. Bulla *Exurge Domine &c.* Lutherum damnans, *quod citatus a Papa in vocem temerariae appellationis* perrupit ad futurum Concilium: Et damnant Romani Pontifices quotannis in Bulla, quae in Coena Domini promulgatur.

(3) Nicolaus I. Epist. 8. quae est ad Michaelem Imperat. ubi haec habet. *Quoniam quum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum, patet profecto Sedis Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod & Bonifacius, atque Gelasius Sanctissimi Praesules non suis adinventionibus, sed Ecclesiae Romanae consuetudines non ignorantes dicunt &c.*

logos, & Jurisperitos nonnullos, qui circa Concilii Constantiensis tempora scripserunt, cum scilicet multa erat, vel in doctioribus Viris, Ecclesiasticarum rerum inscitia, nulla vero sacrae eruditionis Critice, & teterrimi schismatis pertinacia excoecati animi veritatem haud facile assequi poterant: Quid illud Tertulliani non memorem, *ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum*. (1)

XXI. Quamobrem nemo unquam satis profecto miretur, quod Conciliorum supra Pontificem praeeminentiam inter Fidei dogmata recensere Bossuetius non erubuerit. (2) Porro en quibus ille innititur fundamentis: Constantiensis Concilii decreta urget: Gersonii sententiam propugnare se jactat. Urget Constantiensis Concilii decreta, de quorum auctoritate omni jure dubitatur, & quæ ne illud quidem docent, quod ipse vult. Gersonium sequitur, qui pro sua sententia stabilienda alios consulere non potuisse, quam Angelicum, Seraphicumque Doctorem (quorum mentem neque est assecutus,) (3) sponte ipse fatetur, (4) & *cujus animum calamumque exasperatum fuisse absurditate suorum temporum, & dubiorum Pontificum, Schismatisque pertinacis importunitate*, (5) nemo non novit eruditorum.

XXII. Ceterum Gallicanae Sententiae ultimum vitium non est, in Ecclesia non solum, sed in profa-

(1) Tertullianus de Praescriptione c. 31.

(2) In Defensione lib. 10. c. 19.

(3) Fateberis & tu si legas quae habet D. Thomas q. 10. de Potent. art. 4. ad 13. & quae scribit Seraphicus Bonaventura in Expositione Regulae.

(4 Sermone habito coram PP. Constant. Dominica II. post Epiphaniam.

(5, Thomass. in Dissert. 15. in Concil. n. 24.

ſanis etiam Regnis diſſidia fovere, & inobedientiam: Si enim Romanus Pontifex, cujus Eccleſiaſticam Monarchiam ſacrae Literae, Concilia, Patres, totus, inquam, Orbis aſſerit, & veneratur, Conciliis ſubjaceat, nonne facile fieri poterit, ut neſcio quis impudens veterator homo, & temporales Reges comitiis ſubjectos velit populorum, quorum conſenſu plerumque exorta ſunt regna?

XXIII. Cum autem Galli ſuarum, ut vocant, libertatum radicem, regulam, fundamentum hoc eſſe velint, (1) Oecumenica Concilia potiorem, ac Romani Pontifices, obtinere poteſtatem, eiſque legem imponere: quid non liceat ex fundamento totius aedificii ſtabilitatem conjicere?

CAPUT III.

HInc Apoſtolicae Poteſtatis uſum moderandum per Canones, Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia conſecratos. Valere etiam regulas, mores, & inſtituta a Regno, & Eccleſia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicae Sedis, ut Statuta, & conſuetudines tantae Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmatae, propriam ſtabilitatem obtineant.

THE-

(1) V. Boſſuetium diſputantem contra Petrum de Marca p. 2. Defenſ. &c. lib. 9. c. 15.

THESES
HISTORICO-POLEMICAE
AD CAPUT III
Declarationis Gallicanae.

I. CLerus Gallicanus *Apostolicae Potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos* declarans, non est, in quo reprehendi possit, si ea loquendi ratione hoc unum docere velit, Ecclesiam non ita esse a Romanis Pontificibus regendam, ut pro ratione solam habeant voluntatem, sed ab ipsis sacros Canones inspiciendos, qui rerum agendarum optimae constitutae sunt regulae. (1)

II. Ubi vero ea Canones omnes pollere velit potestate, ut vim, ut ajunt, coactivam habeant, vel supra Romanum Pontificem, eique obedientiam imponant, ita ut de plenitudine potestatis eos abrogare non possit, aut dispensare: Egregie fallitur.

III. Quum multi inter Canones sint, ubi plurima ad Fidem spectantia, seu tum naturali, tum Divino jure prohibita, aut praecepta docentur, illis obtem-

(1) Agapetus ad Caesarium Arelatensem sic loquitur. *Divi consideratione* Judicii *necesse nobis est, quidquid Synodalis decrevit auctoritas inviolabiliter custodire*. Et Sanctus Coelestinus ad Episcop. Illyri. *Dominentur*, ait, *nobis regulae, non regulis dominemur: simus subjecti canonibus, dum canonum praecepta servamus*.

temperare debere Romanum Pontificem, nulloque pacto eos immutare posse, certum est.

IV. Haud ita tamen, quoad ceteros Canones res se se habet: *Summae Sedis Pontifices Canonibus, sive a se, sive ab aliis sua auctoritate conditis reverentiam exhibent, & eis se humiliando custodiunt, ut aliis observandos exibeant* (1) *Nos primi*, ait Pius IV. Oratione ad Cardinales, Tridentina Synodo absoluta, *decreta Concilii servare, & Sanctissima habere semper volumus, quo ceteri, exempla nostra secuti, obedientiores post hac sint, & ad omnia paratiores. Idque nos ipsi facimus, memores non tam potestatis, quam modestiae, & mansuetudinis nostrae; Quamvis enim legibus soluti simus, secundum tamen leges vivere volumus. Digna enim vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Enimvero nonne Princeps Ecclesiae est Romanus Pontifex? Nonne illius in Ecclesia Monarchiam & sacrae Literae (2) docent, & Patres omnes? (3) Jam vero *illud in Principatu beatissimum, quod nihil cogitur*: (4) Leges Principi nemo scripsit (5) Leges dirigunt Principem non cogunt. (6)

V. Hinc itaque neque *est dubitandum, quod Papa habeat plenitudinem Potestatis in Ecclesia, ita ut quaecumque instituenda sunt per Ecclesiam, vel Ecclesiae Praelatos, sint dispensabilia ab ipso.* (7) *cuncta enim*

per

(1) Gratianus 25. q. 2. c. 19.

(2) Matth. 6. v. 18. 19. Joann. 21. v. 16. 17.

(3) Consule Bellarminum de Rom. Pont. l. 1. c. 25. Natal. Alex. in Hist. Eccl. sec. 1. diss. 4. §. 2. & alios passim Controversiarum Scriptores.

(4) C. Plinius Secund. in Paneg. cap. 6.

(5) Idem Plinius in Paneg. c. 65.

(6) Dogma apud omnes Theologos, & Politicos inconcussum. Vide ut vel ex sacris Litteris eruat in Politica &c. Bossuetius lib. 4. art. 1.

(7) S. Thomas Quodl. 4. quaest. 8. art. 3.

per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat absolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cui de ejus liceat judicare judicio. (1)

VI. Primis Ecclesiae seculis etsi Episcopi ipsi, & inde Provincialia Concilia Canones moderarentur, & relaxarent, nihilominus in gravioribus praecipue causis Romanus Pontifex consulebatur; (2) & non solum utriusque Ecclesiae Episcopi eam potestatem in eo esse fatebantur, qua eorum statuta relaxare posset; (3) verum etiam ipsa Oecumenica Concilia decretorum suorum ab eo fieri posse gratiam docebant. (4)

VII. Lapsu temporis dispensationum, ita vocant, pars longe maxima in Romanorum Pontificum jura ita cessit, ut soli ipsi eas elargiri possent, quod tamen neutiquam vi, aut malis artibus sibi assumpserunt, sed ipsis Episcopis, Conciliisque volentibus; (5) tum ob reverentiam B. Petri, & Principatum primae Sedis, ad quem praecipue id jus pertinere noverant, tum quoque ut difficilior earum foret impetratio.

VIII. Igitur absolvendi Canonum legibus, antiquioribusque consuetudinibus, utpote totius Ecclesiae Principes, jure Divino obtinent Romani Pontifices; quod vero multis in rebus soli obtineant, Episcoporum, Conciliorumque id factum est concessione.

XI. Verum *in rebus novis constituendis evidens uti-*

C

(1) S. Gelasius in Epist. 13. ad Episcopos Dardaniae.

(2) V. Thomass. p. 2. lib. 3. c. 24. & 25.

(3) V. eumdem Thomass. p. 2. l. 3. c. 25. n. 9. 10. & cap. 16. n. 5. & 8.

(4) V. Thomass. p. 2. l. 3. c. 25. n. 14. & 15. & cap. 26. n. 15. & 16.

(5) V. Thomass. p. 2. l. 3. c. 24. & c. 26. & praecipue c. 28.

utilitas esse debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum est (1). Sine aliqua Ecclesiae necessitate, aut utilitate relaxari nequeunt sacri Canones: (2) Et quidem non solum illi, qui totius Ecclesiae disciplinam respiciunt, verum etiam Jura, Canones, Consuetudinesque uniuscujusque Ecclesiae Summo Pontifici curae esse debet, ut serventur.

X. Ipsos Romanos Pontifices, nedum Patres, & Concilia, legis hujus assertores novimus, qui defensores, & custodes Canonum, non transgressores se esse praedicantes, solliciti eos semper servarunt, utque ab aliis quoque servarentur, curarunt. (3)

XI. Si quid itaque contra sacros Canones, vel etiam peculiaris alicujus Ecclesiae antiquas consuetudines a Pontifice intentatum dictitetur, aperteque constet, nulla rationabili causa posse fieri; absit, ut illud a Romano Pontifice proficisci credatur.

XII. Quod si forte certum fiat, vere a Papa profectum, haud constet tamen, an ex plenitudine Potestatis agere voluerit, nisi justa & urgente ratione, causaque cognita; ac summa maturitate, & gratis facta sit dispensatio, subreptitia, adeoque irrita, & nulla

(1) Leg. 3. de Constitut. Principum.

(2) V. Thomass. p. 2. lib. 2. c. 28. & 29.

(3) S. Pontifex Gelasius Epist. ad Episcopos Dardaniae. *Uniuscujusque*, ait, *Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem prae ceteris oportet, quam primam: Quae, nempe Sedes Apostolica, unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus, Domini voce perceptum, Ecclesia nihil magis subsequente, & tenet semper, & retinet.* Et Sanctus Martinus Pont. ad Joannem Philadelphiae Episcopum. *Defensores divinorum canonum, & custodes sumus, non praevaricatores; quandoquidem praevaricatoribus conjunctae sunt retributiones.*

la habeatur, (1) neque enim ab Apoſtolica Sede illa diriguntur, quae contraria eſſe Patrum, ſive Canonum inſtitutis inveniantur.

XIII. Si quis itaque Romanorum Pontificum ſine ulla ratione aliquem antiquaret Canonem, antiquatus ſane ille foret, at minus quidem licite id egiſſet Pontifex, & gravi culpa ſe ſe illigaſſet, *quia ille non in deſtructionem paternae ſententiae, ſed potius in defenſionem, atque ultionem, primam accepit, & maximam poteſtatem, nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus ceteris Conſacerdotibus ſuis poteſt.* (2)

XIV. Multa quidem congerit Boſſuetius, (3) ut diſpenſationes ſine cauſa a Romano Pontifice datas, neque valere ſuadeat; nihil tamen, quod id vere probaret, afferre potuit, ſed omnia illud unum evincunt ſine cauſa eas licite dare non poſſe. Nobis vero optime favet Bernardus, qui ad Eugenium: *Sic factitando*, inquit, *probatis vos habere plenitudinem Poteſtatis, ſed juſtitiae forte non ita: facitis hoc, quia poteſtis, ſed utrum debeatis, quaeſtio eſt.* (4)

XV. Et quidem quum Canones vel a Conciliis lati fuerint, vel a Romanis Pontificibus, quid valide eos abrogare non poterit alius Pontifex, cujus Poteſtas illorum Poteſtate potior eſt, horum autem non minor? *Praedeceſſor ſucceſſoribus ſuis nullum potuit hac in*

 parte

(1) Trident. Synodus ſeſs. 25. c. 18. *Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit praeſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

(2) Facundus Epiſcopus Hermianenſis lib. 2. cap. 6.

(3) In Defenſione part. 2. lib. 11. cap. 17. 18. 19.

(4) Verba D. Bernardi lib. 3. de Conſider. ad Eugenium III.

parte praejudicium generare, pari post eum, immo eadem auctoritate functus, cum non habeat imperium par in parem. (1)

XVI. Hinc autem apparet, & quae respondemus iis, quae Clerus Gallicanus ad libertates suas respiciens addit: *valere etiam regulas, mores, & instituta a regno, & Ecclesia Gallicana recepta.* Libenter id concedimus, si de eo loquitur Gallicanus Clerus, quod agere debet Romanus Pontifex, nisi satis ad eas antiquandas illi sint causae; sin autem de eo, quod potest, sermo sit, plane negamus.

XVII. Illud tamen animadvertendum, quod licet a Romanis Pontificibus in relaxandis, abrogandisque Canonibus utilitatem, necessitatemve Ecclesiae respiciendam esse monuerimus; haud tamen idcirco nostrum esse credimus de Apostolicae Sedis Consiliis judicare, quae *a nemine judicatur, & de cujus judicio disputare, vel judicare nefas est* (2) Ejus decreta veneranda sunt, ac si *de ore Petri prodiissent* (3).

XVIII. At quoniam in omni re praecauto semper est opus, Triburiensis Concilii Canonem longe pulcherrimum juvat adjungere, (4) ex quo uno omnia ea, quae hactenus disputata sunt confirmantur egregie, & id est: *In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, ut quae nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat* ma-

(1) Cap. *Innotuit De Elect.*
(2) Can. *Si quis suadente §. Qui autem* Can. *Nemini* 17. q. 4.
(3 Can. *Sic omnes* Dist. 9.
(4 Triburiense Concilium celebratum est anno Christi 895. Papa Formoso, & Germaniae Rege Arnulfo: interfuerunt Episc. 22. quibus Hatho Moguntinus Episcopus praefuit: Triburia enim, regia villa quaedam fuit Germaniae ad Rhenum fluvium prope Moguntiam. Decreta, seu Canones ab hoc Concilio editi numerantur 58., quem exscripsimus est trigesimus.

magistra Ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Santa Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet sive Praesbyter, sive Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse Epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit: salva fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per Epistolam, aut per idoneos suae partis Legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua Sancta Legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat diffinire, ut & is corrigatur, & ceteris modus imponatur.

CAPUT IV.

IN Fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

THESES HISTORICO-POLEMICAE

AD CAPUT IV

Declarationis Gallicanae.

I. IN *Fidei quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere*, jure optimo declaravit Clerus Gallicanus; in eo tamen erravit insigniter, quod addiderit, *Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit*.

II. Etiam a Launojo, qui Pontificis Romani definitiones infallibiles futuras esse censuit, si Ecclesiae Romanae consensus accedat, Cardinalium scilicet, qui Clero Romano, Romanam Ecclesiam repraesentanti suffecti sunt, haud minus largiter peccatum: neutram opinionem sacrae Literae docent: neutram Ecclesiastica suadet Traditio.

III. Romanus Pontifex muneris sui Privilegio, sine ullo Universalis, aut Romanae Ecclesiae consensu irreformabile judicium profert. Christus Jesus, cujus vices R. P. in terris gerit, hanc illi firmitatem in fide Patrem petiit, hanc illi elargitus est, quum ne Petri Fides deficeret, ut Fratres confirmaret, rogavit; (1) & agnos, ovesque suas pascendi curam Petro mandavit. (2)

IV. Nec

(1) Lucae c. 22. v. 32. (2) Joannis c. 21. v. 6. & 17.

IV. Nec valet, quod sola Ecclesiarum consensione quaestiones Fidei finiri ex Apostolorum Concilio, & octo primorum Conciliorum Actis probare operosus contendat Bossuetius: (1) facili negotio ea omnia, quae urget, solvi posse, periculum faciundo, ostendere non refugimus.

V. Ex caussa Caeciliani, quam Romae a Melchiade judicatam novo examini in Synodo Arelati coacta subjacere voluit Constantinus, infeliciter Pontificiam Potestatem infringere contendit Calvinus, infeliciter Appellationes a Papa ad Concilium probare vult Launojus, (2) sed non minus infeliciter caussas non finitas esse sine Orbis Christiani consensu persuadere putat Bossuetius (3) sternit eorum machinas Augustinus ipse, (4) quo uno abutuntur.

VI. Apostolicae Sedis Judicium irreformabile non fieri, nisi per Ecclesiae consensionem, fassum esse D. Leonem Papam, quum post Calchedonensem Synodum ad Theodoretum scripserit, (5) quod, *quae Dominus ipsius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu*, illud quoque subdens *Epistolam suam universae sanctae Synodi assensu fuisse firmatam*, arbitratus est Bossuetius, (6) quod S. Pontificis mentem non fuerit assecutus.

VII. Mirum est autem, & vix credibile, quod idem

(1) In Defensione p. 2. lib. 12.

(2) Epistolar. part. 2. Ep. ad Jacobum Boetium a S. Victore.

(3) In Defensione p. 2. l. 14. c. 10.

(4) Epist. 43. ubi audaciae reos dicit Donatistas, quod apud Imperatorem Rom. Patres accusaverint. Et post Judicium Melchiadis aliam Synodum non fuisse necessariam docet. *Dedit*, inquit, *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, ex omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

(5) Ep. 63. ad Theod.

(6) In Defensione p. 2. l. 12. c. 17.

idem Gallus Auctor consensum Ecclesiae requiri, ut irreformabile sit judicium Pontificis, ex eo probare conetur, (1) quod Patres Toletani sextam Synodum pro Oecumenica non habuerint, nisi praehabito examine, etsi a Leone probatam fuisse constabat. Si valeat argumentum, peculiaris regionis Episcopi, & Oecumenicorum Conciliorum decreta a Romano Pontifice confirmata ad trutinam revocare possunt, & respuere, quo nihil dictu turpius.

VIII. Demum Pontificis Auctoritatem non satis esse ad Fidei Dogmata firmanda neutiquam probat, (2) Gallicanae Ecclesiae Antistites Synodum septimam, Adriano Praeside habitam, pro Oecumenica non habuisse; cum constet & de Imaginum cultu male sensisse Gallicanos illos Antistites, (3) & Synodum illam a Pontifice nondum solemniter fuisse confirmatam. (4)

IX. Quod vero superflua forent Oecumenica Concilia, dummodo sine Ecclesiae consensu irreformabile foret Romani Pontificis Judicium, insolens & ineptum commentum est. Ecclesiae diligentiam in sacris Literis, & Traditionibus perscrutandis magis ostentant; occludunt os loquentium iniqua contra summi Sacerdotis decreta, cum ea tot Episcopis placuisse constet; efficiunt, ut facilius, quae solus Pontifex declarare poterat, per totum terrarum Orbem intelligantur, & recipiantur libentius. Quid, quod ex Patrum consilio multa saepe decernuntur, de quibus Pontifex tot curis distentus, vix forte cogitare potuisset? Quum S. Petrus in

(1) Bossuetius in defensione &c. lib. 12. c. 29.

(2) Est contra Bossuetium in Defensione p. 2. l. 12. c. 31.

(3) V. Christianum Lupum in Dissertatione de septima Synodo c. 15.

(4) V. Natal. Alex. in Hist. Eccl. secul. 8, Diss. 6. §. 8.

in Jerosolymitano Concilio de non circumcidendis, qui ad Christum ex Gentibus converterentur legem tulerit, ex S. Jacobi monitu illud quoque fuit additum, optimum fore scribere ad Gentes, ut abstinerent non solum a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione; verum etiam a suffocatis, & sanguine, ne a recipienda Fide retardarentur, qui Moysen nimis religiose venerabantur. (1)

X. Profecto sola Rom. Pontificis Auctoritate Fidei quaestiones sine Oecumenicorum Conciliorum convocatione finitas esse non raro, ex pluribus demonstrare possumus Ecclesiasticae Historiae monumentis; & quum Apostolica Sedes, & *Comprovincialium, & Generalium retractet, refricet, & confirmet Judicia, sicut Epistolae Leonis, atque Gelasii, ceterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt*, (2) & Sacerdotalem legem esse constet, quod irrita declarentur, quaecumque fiunt, praeter Sententiam Romani Episcopi (3) illius tum supra Concilium Auctoritatem, tum in rebus decernendis Infallibilitatem, hinc quoque argui posse invictissime, credimus, quum nulla sint laboriosa, quae, ut vim eludat, commenta fingit Bossuetius. (4)

XI. Et sane cum certum sit, judicia pro sancienda regula Fidei, a Summis Pontificibus lata, Divina aeque ac summa per Universam Ecclesiam Auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius etiam mentis obsequium praestare teneantur, unde, *si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta*

pro

(1) Act. Apost. c. 15.
(2) Hincmarus opusc. de divortio Lotharii, & Teutberg.
(3) Sozomenus lib. 2. hist. c. 9.
(4) In Defensione lib. 13. p. 2.

pro Catholica Fide , pro Ecclesiastica disciplina a Sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit anathema est , (1) quomodo Universalis Ecclesiae bono fuisset consultum , si fallere nos posset Romanus Pontifex ?

XII. Itaque ante Constantiensis Concilii tempora numquam sane in Controversiam vocatum est , Romanos Pontifices esse infallibiles : hoc illi privilegium antiqui omnes unanimiter concedunt ; & hinc factum est , ut Ecclesiae omnes in Controversiis Fidei ad illos confugerent (2) ; eorumque difinitiones prae oculis Concilia haberent , ut ad earum normam sanctiones suas constituerent ; (3) & Patres , postquam haereses ab iis damnatae fuerint , nihil aliud exposcerent (4) ; & vel ipsa Graeca Ecclesia Romanorum Pontificum privilegio-

(1) S. Nicolaus I. in Rom. Syno.p

(2) Consule Sistema Decretorum Dogmaticorum &c. auctore Fr. Francisco Porter. V. etiam Thomass. de vet. & nova Eccl. Disciplina tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 9. & n. 15. §. *Si Principem &c.* Et Thomass. tom. 2. l. 2. c. 18. n. 3. & 5. nec non c. 44. n. 11.

(3) Nicolaus I. Ep. 9. ita ad Michaelem Imperatorem scribit. *In Synodis prisco tempore collectis Apostolicae Sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur , sed ut omnibus , qui in domo Dei erant , lucerent , in propatulo ponebantur ; & ut si qua turpitudo , vel macula in Fidei pulchritudine a quolibet tentaretur induci , facile patesceret , ac si specula in omnibus habebantur ; & quasi quaedam rectitudinis formula , qua imprimi ceteri possent , colebantur .*

(4) Videre haud pigeat S. Basilii Ep. 52. quae est ad Athanasium , Sophronium Hierosol. Patriarcam Consult. 2. Concil. Later. sub Martino I. D. Gregorium Papam lib. 4. Ep. 52. S. Ignatii Constantinopolitani Patriarchae Ep. ad Nicolaum I. quae lecta fuit Act. 6. Synodi VIII. D. Ambrosii , aliorumque Mediolanensis Provinciae Episcoporum Epistolas ad Siricium Papam , qui Jovinianum , & Auxentium damnaverat , necnon D. Augustinum , qui pluribus in locis , praecipue vero serm. de verbo Evang. 132. c. 10. & lib. 2. ad Bonifacium c. 3. & lib. 2. adversus Julian. n. 103. Pelagianorum caussam finitam pronunciat post Innoc. I. decreta , quod diserte asserit etiam Prosper in Chronico .

giorum ſcrutatrix acerrima *Catholicum ſe credere teſtaretur quidquid eorum reſponſo illi fuerit intimatum* . (1)

XIII. Multo opere ſuadet Boſſuetius (2) Romani Pontificis judicium pro irreformabili habitum non fuiſſe a Cypriano, Carthaginenſi Epiſcopo, at fruſtra : etenim neque S. Cyprianus, Africanique Patres, neque S. Stephanus Papa, neque ipſe Auguſtinus, quod agitabatur de iterando haereticorum Baptiſmate certamen ad Fidem pertinere putabant, ſed ad ſolam dumtaxat diſciplinam. (3) Quod ſi Gallus Auctor miratur (4) id ſibi aliquem, in Auguſtini lectione verſatum, ſuadere poſſe de eodem Auguſtino, non deeſt, quo conceptam ab eo removeamus admirationem.

XIV. Quoniam vero Romanum Pontificem loqui poſſe, tum quatenus privatus homo eſt, tum quatenus Eccleſiae Univerſalis Caput, & Doctor, nemo eſt, qui non videat : tunc quidem ſolummodo certum judicium ferre poſſe dicimus, cum loquitur ut Eccleſiae Magiſter, ſive, ut ajunt, ex Cathedra. Hanc diſtinctionem Boſſuetius, (5) quaſi novam, inauditamque ſugillat, ſed injuria.

XV. Tunc autem Romanum Pontificem ex Cathedra definire cenſendum eſt, cum publicis indictis precibus, habitiſque, ſolemni ritu, Chriſtianorum omnium Magiſtrum agens, rem definit, de qua ſententiam definitivam ferre magno Eccleſiae ſit uſui, quaeque vel per Synodum, vel per multorum doctorum hominum, praecipue Epiſcoporum, ſuffragia probe fue-

(1) Conſtat ex verbis Juſtiniani Comitis domeſticorum poſt Epiſtolam 76. Hormisdae.

(2) In Defenſione part. 2. l. 14. c. 4. 5. 6. 7. 8.

(3) V. Natalem Alex. in Hiſtor. Eccleſ. ſecul. 3. Diſsertat. 12. art. 4.

(4) In Defenſ. p. 2. l. 14. c. 7.

(5) In Defenſione p. 2.

fuerit examinata. Dummodo is foret, quem Galli requirunt, aut Universalis, aut Romanae Ecclesiae consensus, facile ex compacto ageremus. Romanus Pontifex & Oecumenica Concilia haud statuunt nova dogmata, sed declarant tantummodo quae dogmata verbo Dei scripto, aut tradito docti simus. Ne itaque tantae rei judicium ferendo decipiantur, S. Spiritus ope fulciuntur quidem, at illam sibi temere arrogare, minime debent, cum ea sit Divinae Providentiae ratio, ut illis potissimum non denegetur Gratia, qui ea rite fecerint, quae potuerunt.

XVI. Olim Romani Pontifices, quum de aliqua re certam ex Cathedra Sententiam proferre voluerint, peculiares Synodos cogere plerumque consueverunt, (1) aliquando tamen solius Romani Cleri auxilio contenti fuere (2). Modo vero Cardinalium, nonnullorumque Antistitum, & Theologorum consilio, & ope bene ac sapienter uti solent. (3)

XVII. Jam vero etsi Epistolas, quas Decretales vocant, summo in pretio habendas esse, nemo sane in-

(1) Innumera hujusce rei testimonia licet repetere ex Ecclesiasticarum rerum Scriptoribus, ex iis autem praecipue, qui Conciliorum acta collegerunt.

(2) Siricius quum Jovinianum damnasset ita scripsit ad D. Ambrosium. *Facto Presbyterio omnium nostrum, tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri, una suscitata sententia est, ut Jovinianus, & Inventores novae haeresis inventi, Divina sententia, & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remaneant.*

(3) Ut e. g. usus est Pius IV. ad confirmandum Tridentinum Concilium, Clemens XI. cum tulit Constit. *Unigenitus &c* V. etiam Trid. Synod. sess. 25. decret. de Ref. cap. 1. Adnotandum autem est Rom. Pontificem non ita consulere Cardinales, perinde quasi sine illorum consilio firma non essent ejus decreta. Infallibilitate donatus ille est a Christo Domino hac una lege, neu temere definiat; quod quidem praestare potest alios quoque ministros, & Praesules consulens praeter Cardinales.

inficiari poteſt ; falſum tamen eſt a Romanis Pontificibus, tanquam Eccleſiae Univerſalis Magiſtris eas eſſe ſcriptas, quum maxima earum pars de Judiciis in Epiſcopalibus Curiis exercendis loquatur, & pleraeque reſponſa contineant privato alicui Principi, ſeu Epiſcopo data &c.

XVIII. Qua de re quum & nos libenter concedamus, Romanum Pontificem reſponſis illis, quae, Univerſalis Eccleſiae Magiſtrum non agens, pronunciat, errare poſſe, quid nonnulla, quae in eis reperiuntur falſa, nobis obicientur, ut ille Infallibilitatis munere deſtitutus probetur? Quid quod multa in iis Epiſtolis adulterata eſſe conſtat?

XIX. Aſſerimus itaque, & jure quidem optimo aſſerere praedicamus, tot ſaeculorum ſpatio, quot a Chriſti morte effluxerunt, neminem unquam ex Romanis Pontificibus mentitum eſſe, quum ex Cathedra loquentes Eccleſiam docerent Univerſam: Et hoc quidem, quum & nonnulli eos inter non defuerint minus probis viventes moribus, validiſſimum ſane illi praeſtat argumentum opinioni, quam propugnamns.

XX. Incaſſum omnes exterebrat artes Boſſuetius, (1) ut Arianiſmi notam Liberio inurat: Primae Sirmienſi formulae, quae Catholicum praeſeferebat ſenſum Liberius ſubſcripſit, & quod vox ὁμοούσιον in eadem deeſſet, concludi minime poteſt facto ipſo, ſi non verbis, Arianae haereſi conſenſiſſe. Cum nemo unquam Arianorum obtinere potuerit, ut diſerte vocem illam damnaret, quis pleno ſapiens pectore interpretari poterat, eam non admiſiſſe, quia formulam admiſerit, ubi ea reticebatur? Ariani ipſi nonne eam

prae-

(1) In Defens. Declarat. p. 2. l. 14. c. 25.

praetermittendam jactabant, non eo quod eam praetermittere, eamdem pernegare foret, sed ne nova, inauditaque voce Ecclesiae pax retardaretur? Quid quod formula illa, quum contra Photinum edita fuerit, non autem contra Arianos, eam vocem necessario postulare non videbatur? Ad haec, si formulae Sirmiensi subscribens Liberius Arianam professus esset haeresin, quid deinceps Arianus Imperator Beroëae detinuit exulem, si quod in votis habebat, obtinuerat? Quod vero Athanasium damnaverit, Nicenae Fidei acerrimum vindicem, minus recte profecto egit, at dolis circumventus, & taedio fractus exilii in eum sententiam tulit, nec sane ob illius in recta Fide constantiam, sed aliis, quibus insimulabatur criminibus. Demum ecquis erit unquam, qui Liberium ex Cathedra haec locutum probet?

XXI. Porro allucinatur plane Bossuetius, quum Hormisdam optimam propositionem illam respuisse dicit: *unus de Trinitate Crucifixus*; quum ne dum respuere, aut damnare, ne illam quidem examinare S. Pontifex voluerit; ad Fidem in Concilio Calchedonensi stabiliendam minime necessariam, sed potius intempestivam, & turbandae potius Ecclesiae, quam aedificandae opportunam ratus, eo praecipue quod conflictatio tota in solis vocibus versaretur, quum ceteroquin convenirent omnes in re ipsa.

XXII. Etsi vero Honorii in Monothelitis coercendis negligentiam excusare nolumus, cumque Monothelitarum haeresi nascente duarum in Christo operationum sacras voces sileri jussisse [quamquam ab ipsis forte deceptus fuerit Monothelitis, futurum fore pollicentibus, ut eo silentio Euthichetis, Nestoriique

er-

errores ab Oriente facilius eliminarentur] intempestivam arbitramur Oeconomiam ; haereseos tamen crimine reum fuisse S. Pontificem nec pie , nec vere dici credimus , quum Catholicum , sensum illius Epistolae patiantur , Monothelitarumque fidei adversum fuisse antiquissima testentur monumenta . (1) Quamobrem libenter damus , a sexta Synodo anathemate fuisse mulctatum , at non quod unius in Christo voluntatis assertor fuerit , *sed quia flammam haeretici dogmatis , non , ut decuit , Apostolica Auctoritate incipientem extinxit , sed negligendo confovit* . (2) Haec Scriptorum omnium de Honorio sententia fuit ante Calvinianum saeculum , & ipsius quidem sextae Synodi , cujus Act. IV. Epistola Agathonis lecta fuit , omniumque plausu excepta , ubi S. Pontifex neminem Pontificum a recto veritatis tramite nunquam discessisse diserte docuit . Sed esto Monothelitarum haeresin in suis Epistolis professus esset Honorius , anne idcirco Pontificia infringeretur Infallibilitas ? Privato eas Consilio scripsit , non ex Cathedra , nec dogmata in iis decernere putavit , verum sententiam suam Pyrrho , & Sergio aperire , quod tum ex historia Monothelitarum , tum ex ipsis quoque Epistolis , nec non ex verbis sextae Synodi invictissime comprobatur .

XXIII. At vero quid singillatim omnes recensere Romanos Pontifices , quos perhumaniter Bossuetius (3) haeresis insimulare contendit ? si fides illi praestanda foret , portentum hoc fateremur opus esset , nullam aliam Ecclesiam fore , cui tot Episcopi haeresi infecti

(1) V. Faustum Naironum in Dissert. de Orig. , ac Relig. Maronitarum n. 14. & seqq.

(2) Verba S. Leonis in Epistola ad Hispanos Episcopos .

(3) Bossuetius in Defens. Declarat. Gall. p. 2. l. 14.

fecti contigerint, quot Romanae, quae scilicet *Caput est omnium Ecclesiarum, a qua universitas Credentium doctrinam exquirit, integritatem Fidei deposcit* (1), *cui, totam doctrinam Apostoli sanguine suo profuderunt*. (2)

XXIV. Verum quid plura? quidquid contra Liberii, Zosimi, Hormisdae, Honorii, Joannis VII., Gregorii II., Stephani II., Sergii III., Gregorii VII., Paschalis II., Alexandri III., Coelestini III., Innocentii III., Nicolai III., Bonifacii VIII., Joannis XXII., aliorumque Romanorum Pontificum rectam Fidem blaterat Bossuetius, ceterique quot sunt, quotque fuere aut Catholici scriptores, aut Haeretici, Pontificiae, quam asserimus, Infallibilitati haud nocet quicquam.

(1) Nicolaus I. Ep. 6.
(2) Tertullianus lib. de Praescript. c. 36.

FINIS.

Imprimatur
Dominicus de' Bardi Vicarius Generalis.

Imprimatur
Fr. Franciscus Antonius Benoffius Min. Conv.
Vic. Gen. S. Off. Flor.

Carolus Ginori pro Regia Celsitudine vidit.